



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

XXI. Abt Cäfarius acceptirt eine Schenkung Haold`s von Angern für das Kloster Hillersleben, am 25. Juli 1232.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

memorie Comite Hildesleuensi, eiusdem monasterii fundatore, concessas, nec non ius advocacie, quod idem comes monasterio in proprium concessit, possessiones et alia bona, pia vobis fidelium devotione collata, vel alias ad vos iusto tytulo pertinentia sicut ea omnia iuste ac pacifice obtinetis, et in autentico inde confecto plenius continetur, vobis et per vos eidem monasterio vestro, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communitus. Ad rei autem evidentiam pleniorum tenorem ipsius autentici de verbo ad verbum presentibus duximus inferendum, Qui talis est: (Siehe No. XVII.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum laterani, III Non. Maii, pontificatus nostri anno Quinto.

Cap. I, fol. 1.

XXI. Abt Cäsarius acceptit eine Schenkung Haold's von Angern für das Kloster Hillersleben, am 25. Juli 1232.

In nomine sancte et individve trinitatis. Cäsarius, dei gracia hildesleuensis ecclesie abbas in perpetuum. In fuga est status mundi huius et temporis, nimirum et in incerto fluctuat omnis actio temporalis. Ne itaque quod geritur in tempore simul evanescat cum tempore, oportet scripture firmamento posterorum memorie commendari. Noverint igitur vniuersi tam presentes quam posteri, quod conventus noster quatuor libras argenti ab haoldo milite de angern, cognato nostro, oblatas et ad communem fratrum consolacionem deputatas ad quosdam redditus, quos prius ecclesia non habuerat, in Wederinge comparandos nobis assignavit. Nos autem ipsorum devocioni respondentes pro anime nostre remedio chorum filiginis, qui de allodio in melferge soluitur, quem a marquardo tribus marcis, ecclesie litone, redemerunt, et duos mansos, in maiori rodenfleue sitos, ad fratrum infirmorum solacium deputavimus statuentes, vt quicquid de proventibus eorundem tam in annona quam in pecunia, porcis et aliis utilitatibus annis singulis haberi potuerit, ad vsus fratrum infirmorum necessarios impendatur. Decrevimus preterea vt deliberato consilio fratres sibi proviforem vnum ex ipsis in bonis procurandis eidem eligant, qui, si negligens et invtilis extiterit, ipsum removendi et alium in loco eius ydoneum subrogandi liberam habeant facultatem. Porro nobis nostrisque successoribus ius advocacie bonorum ipsorum liberam reservamus, pro eo precipue, ut nostri successores iuris ac debiti necessitate compulsi ad tuicionem proventuum predictorum operam adhibeant efficacem. Ceterum ne huic ordinacioni nostre rationabili quisquam ausu temerario contraire presumat dei omnipotentis auctoritate nostrique anathematis interminacione districtius inhibemus. Acta sunt hec VIII. kal. Augusti, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXXII<sup>o</sup>., Indictione V<sup>a</sup>, abbacie nostre XXVII. Huius rei testes sunt: Thidericus, prior, hincicus, custos, burchardus, cantor, hermannus de bornstede, arnoldus de magdeburch, hermannus. Milites vero prefatus haoldus de angern, gerbertus de ammenfleue, heydenricus de wederige, geroldus de hildesleue. Ad maiorem denique tocius securitatis cautelam hanc paginam inde conscriptam tam nostro quam ecclesie nostre sigillo fecimus roborari.

Cap. I, fol. 19.